



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

TIGIUANAËNSIS ET ALIARUM*

ECCLESIASTICARUM PROVINCIARUM MEXICI NOVA FIT ORDINATIO.

Mexicani populi spiritale bonum summopere curantes, sedulo contendimus ut Christi Evangelium in regione diligentiore usque ratione nuntietur atque, perpensis aetatis nostrae rebus, recte ac fideliter explanetur. Attente igitur petitionem consideravimus Venerabilis Fratris Iosephi Guadalupe Martín Rábago, Episcopi Leonensis et Conferentiae Episcoporum Mexici tunc Praesidis, qui de ipsius mandato, ab Apostolica Sede, normis Decreti Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus » sub. n. 40 obsequens atque can. 431 §§ 1-2 C.I.C. prae oculis habens, postulavit ut ecclesiasticae provinciae in Mexico noviter recognoscerentur, ita ut, quantum fieri poterit, eadem ecclesiasticae provinciae et civiles regiones inter se congruant. De consilio igitur Congregationis pro Episcopis, et habito favorabili voto Venerabilis Fratris Iosephi Bertello, Archiepiscopi titulo Urbis Salviae et in Mexico Apostolici Nuntii, porrectis precibus benigne annuendum censuimus ac de plenitudine Apostolicae potestatis, quae sequuntur statuimus ac decernimus. Tigiuanaensem, Leonensem, Tulancingensem et Tuxtlensem dioeceses ad gradum et dignitatem Ecclesiarum metropolitanarum evehimus atque actu earum existentes Episcopos, Venerabiles Fratres Raphael Romo Muñoz, Iosephum Guadalupe Martín Rábago, Petrum Aranda Díaz-Muñoz et Rogerum Cabrera López, ad gradum Archiepiscoporum Metropolitanarum promovemus ac iuribus et privilegiis ornamus, quibus ceteri Metropolitanae Archiepiscopi fruuntur atque oneribus et obligationibus nectimus quibus ipsi subiciuntur. Nova erecta ecclesiastica provincia vulgo dicta Baja California constabit metropolitana Ecclesia Tigiuanaënsis, et suffraganeis Ecclesiis Paciensi in California Inferiori Meridionali et Mexicaliensi, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Hermosillensi suffraganeis. Simili modo, nova erecta ecclesiastica provincia Bajío nuncupata constabit metropolitana Ecclesia Leonensi, et suffraganeis Ecclesiis Celayensi, Irapuatensi et Queretarensi, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Sancti Ludovici Potosiensis suffraganeis. Item, nova erecta ecclesiastica provincia Hidalgo dicta constabit metropolitana Ecclesia Tulancingensi, et suffraganeis Ecclesiis Tullanensi, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Mexicanae suffraganea, et Hueiutlensi, adhuc metropolitanae Ecclesiae Angelorum suffraganea. Pariter, nova erecta ecclesiastica provincia Chiapas

denominata constabit metropolitana Ecclesia Tuxtleni, et suffraganeis Ecclesiis Sancti Christophori de las Casas et Tapacolensi, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Antequerensi suffraganeis. Ecclesiasticam provinciam Hermosillensem component Ecclesia eiusdem nominis, cum sua suffraganea dioecesi Civitatis Obregonensis, et cum dioecesi Culiacanensi, usque nunc suffraganea archidioecesi Durangensi. Ecclesiasticam provinciam Durangensem efformabunt metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Mazatlanensi et Torreonensi, Praelaturaque territoriali Saltensi in Mexico. Ecclesiasticam provinciam Monterreyensem constituent metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Civitatis Victoriensis, Linarina, Matamorensi, Novolaredensi, Saxanigrensi, Saltillensi et Tampicensi. Ecclesiasticam provinciam Sancti Ludovici Potosiensis component metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum sua suffraganea dioecesi Matehualensi, et dioeceses Vallipolitana, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Monterreyensi suffraganea, et Zacatecensis, adhuc archidioecesi Guadalaiarensi suffraganea. Ecclesiasticam provinciam Guadalaiarensis constituent metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus de Aguas Calientes, Guzmanopolitana, Colimensi, Sancti Ioannis a Lacubus, Tepicensi, Rivoriensi, Praelaturaque territoriali Nayaritana de Iesu et Maria. Ecclesiasticam provinciam Moreliensem component metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Apatzinganiensi, Tacambarensi, Zamorensi in Mexico, et Civitatis Lazari Cárdenas, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Acapulcanae suffraganea. Ecclesiasticam provinciam Mexicanam component metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Atlacomulcana, Cuernavacensi et Tolucaensi. Ecclesiasticam provinciam Acapulcanam component Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis Chilpancingensi-Chilapensi, Civitatis Altamirensis et Tlapensi. Ecclesiasticam provinciam Angelorum component metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Huaiapanensi, Tehuacaniensi et Tlaxcalensi. Ecclesiasticam provinciam Antequerensem component metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Portus Abditi, Tehuantepecensi, Tuxtepecensi, et Praelaturis territorialibus Huautlensi et Mixepolitana. Ecclesiasticam provinciam Chihuahuensem efformabunt metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Civitatis Iuarezensis, Cuauhtemocensi-Materiensis, Neograndicasensi et Parralensi et Tarahumarensi. Ecclesiasticam provinciam Tlalnepantlanam constituent metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Cuautitlanensi, Ecatepecensi, Netzahualcoyotlensi, Texcocensi et Vallis Chalcensis. Ecclesiasticam provinciam Jalapensem efformabunt metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Coatzacoalsensi, Cordubensi in Mexico, Orizabensi, Papantlensi, Sancti Andreae de Tuxtla, Tuxpaniensi et Verae Crucis. Ecclesiasticam provinciam Yucatanensem component metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, cum suis suffraganeis dioecesibus Campecorensi et Tabasquensi et Praelatura territoriali Cancunensi-Chetumaliensi. Ad haec perficienda Venerabilem Fratrem Iosephum Bertello, Archiepiscopum titulo Urbis Salviae et in Mexico Apostolicum Nuntium, deputamus, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostra miugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Novembris, anno Domini bismillesimo sexto, Pontificatus Nostris altero.*

THARCISIUS card. BERTONE	IOANNES BAPTISTA card. RE
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana